



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quęstio 1. Quis lapis reprobatus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

batur benignitas. Prophete autem munus suum veris miraculis approbarunt, nec aliter illis credere tenebantur.

§. 2. Præcipuam hac in re benignitatem Dei agnoscit Chrysostom. eamq; & vltima prædicat, quod ingratos, & rebelles non deserat. Quod si igitur noui Prophete mittantur, fidem suam signis & virtutibus approbent, necesse est. Alioquin ordinarij pastores audiendi sunt, quorum nunquam in vniuersam fides deficit.

Crudeles agricola. Agricola seruos percutiunt, id eger habetur in plebisque, alij codices habent *ἐδραγν*, quod vetus interpretes & Syrus legit. Nam *δραγν* est percutere, sed *δραγν* pellem derrahere. Alios occiderunt, alios lapidibus obruerunt, in Syro inuersus est ordo, qui etiam habet *ויהי ויח. fuit*, qui occideret: videre licet Ierem. 44. v. 4. 5. 6. 2. Par. 36. v. 14. 15. 16. Act. 32.

Liberum arbitrium. §. 3. Elocationis pactum mercedem indicat, & meritum: quin Bullingerus sub conditione locatum ait, ut fructum afferret, qui illa. c. 5. recenlet. Absentia seu abitus patris familias significat, homini liberum arbitrium datum esse, ut habet comment. Hieronym. Libertatem initio furenter oppugnant, ab ea tamē heresi pro re nata recesserunt, & nostram *συνέγνωσαν* cooperationem cum gratia diuina probant, ut Beza. l. i. q. & respons. Vide Amlingum ad Anhaltinos, Hemmingium, Wittenbergenfes.

VERSVS 37.

Iterum misit alios seruos plures prioribus & fecerunt illis similiter. Nouissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.

QVÆSTIO I.

Quid filio regis factum est?

§. 1. **M**isit eum rex, ut eum v. reterentur, dixit enim *ἐν τῇ ἀποστολῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ βασιλέως*. Syrus est verbum *מִשַּׁל*, quod erubescantiam significat. Pater familias humano more loquitur apud Lucam, *ἵνα* forte, Syrus *וַיִּשַׁל* iam. forte.

In Christum illa conueniant; nam spe retinendæ patriæ eum occiderunt, ne venirent Romani. & auferrent locum, & gentem. Christus autem heres est vniuersorum Plal. 2. 7. & 8. Christum autem cognouerunt, Ioan. 15. 22. & 24. Nec repugnat illi, quod Christus ait, Nesciunt, quid faciant, & Paulus, si cognouissent, non crucifixissent. Soluit quæstionem Iustinus q. 14. o. ad orthodoxos p. 377.

Imprudencia siue ignoratio dupliciter dicitur, aut enim non sponte sua quis ignorat, cum eas res non habeat, quæ ipsum ad cognitionem ducant: aut voluntate sua ignorat, cum res ad cognitionem eum ducentes habeat, & nosse tamen nolit. Atque hanc destinatam ignoracionem, solita est sacra scriptura aliquando nominare, aliquando imprudentiam siue inscientiam, aliquando scientiam. Ut cum dicit. Et me nositis, & vnde sim nositis, pro eo quod est: Ex operibus meis, & nomine meo, & sermonibus meis nosse potestis veritatem. Nam qui per mendacium fallit, opera talia edere non potest, & cum ab agricolis heres eo est agnitus, quod eum viderant in presentia vitæ operum editioe & filij appellatione supra omnem esse hominem, iuxta euidentem parabola descriptionem, sed tum quod illum post mortem eius Deus e mortuis ad vitam immortalē esset resuscitaturus & facturus heredem vniuersorum, non cognouerunt. Nam & ipsa perspicua

parabola descriptio eius rei elucidam & apertam non habet designationem. Itaque de eiusmodi ignorantia dixit Christus, Pater remitte illis: nesciunt enim quid faciant. Similiter & Paulus: si enim cognouissent, haudquaquam Dominum gloriæ crucifixissent.

§. 2. Tertullianus l. aduersus Praxeam c. 26. probat patrem à filio distinctum, & non esse seruum, sed verum filium & heredem, l. de carne Christi cap. 11. Hæretici autem improbe captabant verba. ut seruum facerent, qui ut cæteri famulorum mittitur ad cultores vineæ, sed non ideo famulos est, cum exptellisset dicatur mitti filius, & heres; & pater dixerit, Reuerberantur filium meum.

VERSVS 41.

Aiunt illi: Malos male perdet & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

QVÆSTIO I.

Quid factum agricolis?

§. 1. **I**udicium contra se ipsi Pharisei pronunciant, *Malos male perdet*, *κακούς κακῶς δοκίματον ἀπὸ τοῦ κυρίου*. *Malos male perdet ipsos.* Syrus *רַבִּישׁ בִּישׁ* debilis bish. Proverbijs loco usurpat, & Hebraei & Greci Aristoph. *δοκίμῳ τῷ ὀλῶ κακὸν κακῶς*. Te malum perdam male. Lex enim generalis esse videtur, ut malis male, bonis bene fiat. Non est inter Euangelistas ylla dissensio. Marci 11. 9. Luc. 20. 16. Christo illa verba tribuuntur. Verum & Christus & Pharisei protulerunt, illi interrogationi respondentes, Christus vero responsum eorum repetendo, atque approbando, minando, de illis ipsis inter pretando. Illi idem cum in genere de peccatis improborum agricolarum audiunt, probant, cum fibi vident applicari, refugiant. Vineam locabit alijs, Syrus *וַיִּשַׁל* ab *וַיִּשַׁל* Nochad ab Echad, possidere facietur fieret quod improbi dixerunt *καταραγήσῃ ὁ κτήμας ἡ ἀντιλήξις*. Quia enim locatione habere noluerunt, sed hereditario, etiam locationis iure pulsi sunt.

VERSVS 42.

Dicit illis Iesus: Nunquam legis in scripturis: Lapidem quem reprobauerunt adificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud & est mirabile in oculis nostris.

QVÆSTIO I.

Quis lapis reprobatus?

§. 1. **A**lijs agricolis elocandam, Respondens, alij, pater *μὴ γένοιτο*. De se enim dictum esse intelligebant. Sed Christus asserit, eos esse qui fructum negarant, seruos primū, deinde heredem occiderent, id eo fore ut regi Dei, hoc est, sacra respublica, sacerdotum, lex, & quæ reliqua erat Dei cognitio auferatur. Ita quoque alias gentes post fidem Dei relictam ab eo desertas videmus. Chrysostomus illam

illam ingratam nationis reiectionem iam olim praedictam demonstrat. *ὅτι οἱ πατέρες οὐκ ἔγνωσαν τὸν υἱόν, οὐκ ἔγνωσαν τὸν πατέρα, οὐκ ἔγνωσαν τὸν πνεῦμα τὸν ἄγιον, οὐκ ἔγνωσαν τὸν υἱόν, οὐκ ἔγνωσαν τὸν πατέρα, οὐκ ἔγνωσαν τὸν πνεῦμα τὸν ἄγιον.* Ita vidique eijciendos Iudaeos, quia non crediderunt, & gentes introducendas monstravit. Id enim per Chanaanam, id per alinum, id per mulas alias parabolis, id per Centurionem apertius significavit id etiam nunc designat.

Veigitur vanam illis securitatem, & iactantiam excutiat scriptura ostendit eos esse qui filium occiderunt. Illi enim cum prudentia, legis peritia, vitae probitate, ac pietate praestare se putarent, suarum esse partium arbitrabantur, de adventu Messiae iudicium ferre, nec quonquam pro Christo agnosci debent, nisi quem illi approbassent. At Christus demonstrat ex prophetis, fore ut a proceribus reipublice suae gentis esset lapis reprobatus. Architecti vocantur, honore officii, quique rem administrabant, re ipsa erant disturbatores. Christus quomodo lapis sit, exponit Athanasius de dictis scripturae prop. 40. p. 329.

Tom. 2. *ὁ Χριστός, ὅς ἐστι ἀπεδοκιμασθὲν ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων, καὶ φερεσθὲν καὶ περὶ τὸν σταυρὸν τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἐγένετο κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας τῶν Ἰουδαίων.* Lapis dicitur Christus, qui improbatum est a Iudaeis, & Pharisaeis, & senioribus Iudaei populi, & c. factus caput Ecclesiae, gentium.

Est igitur hoc argumentum. Lapis reprobatus, & deinde factus in caput anguli, est Messias ex Psalmo, non enim propheta de tereno edificio agit, sed re maxima, quocirca addit: *A Domino factum est istud & est mirabile in oculis nostris.* Architecti & edificantes sunt sacerdotes, & principes gentis, qui in edificio seu reipublice & Ecclesiae consortium non admiserunt Christum, sed reprobant, adeoque seculere, ut lege lata synagoga pellerent, si quis eum confiteretur. Ex quo sequitur eos ipsos esse, qui Messias non reciperent.

Ubi autem habet ratio non ex ipso modo textu scripturae, verbum etiam ex Iudaeorum ordinaria, & pleniusque notissima interpretatione Messiam esse lapidis symbolo in scriptura indicatum cōcōs erat Iudaeorum sententia. Ita comment. in Genesim, Berekthi Raban. in 18. c. in illud: *egressus est Iacob.* Postquam Moyses fecit vindictam de Esau, ipse fiet rex magnus. Et hoc est, quod scriptum est Danielis 2. c. *Lapis qui percussit statum, factus est mons magnus, & implevit universam terram.* Et illa 28. *Ego fundavi lapidem & c.* Eum locum sic exponit Rabbi Salomo. *Fundavi verbum praeiitum tempore est, utaque de praeterito exponendum est sic:* *Ego fundavi, qui fundavi iam in Sion lapidem, id est, iam de finem, & decretum est coram me, & constitui regem Messiam, qui est lapis in bohan, quod sonat fortitudinem, vel munitionem.*

Chaldaea paraphrasis eodem modo de Messia interpretatur. sic enim habet. *Dixit Dominus Deus. Ecce ego constituam in Sion regem Messiam, regem potentem, robustum, & intem.*

Quin locum Davidis idem Salomon de Messia interpretatur, cum illud Michae 5. exponit. *Ex te mihi credetur, qui sit dominator in Israel.* Verba eius *וְיָשִׁיב יְהוָה אֶת דָּוִד בְּמָגֶד* Hoc est, Messias filius David, ut scriptum est, lapis quem reprobant, edificantes. Eadem testatur Rabs. Hadarsan. Lapis ergo Messias, & lapis reprobatus, & quidem ab ipsis edificantibus domum Dei. Non igitur mirum videri debuit, si id facerent, cum propheta facturos praenuntiasset, non tamen ideo illi fecerunt, quia ille prophetauit, sed quia facturi erant, ideo propheta Deus tenebant, & ille Psalmo suo descripsit. Magna improbarum mentium erant ista tormenta, cum suae

sibi machinationis conscij essent, Christumque eijcere studebant, & hoc iam praedictum audirent.

§. 3. Calvinus occasionem ex his capitavit, ut malediceret praesulibus ecclesiae. *[E]arum nunc Papa cum commutis suis Episcopis, & sibi de omnibus fidem habendam esse iactent, quia pastorum locum occupent. Hoc ille vult Leviticum Sacerdotum à Deo ordinatum, nec tamen sacerdotibus obtemperare oportuisse fideles, ut Christum negarent.*

Respondet. Extra controuersiam esse, sacerdotibus errasse, nam cum Christus iam signis, & virtutibus auctoritatem suam approbasset, qui non credebant, ab ipso Ecclesia eijciebatur, ipse iam pastor pastorum erat, ipse Ecclesiam colligebat. Papa sibi fidem habendam, uti vicario Christi, merito docet, cum promissum illi sit, non fore ut fides eius deficiat. Idem argumentum, Calvino haustu tenet. Suidas contra Bellarminum. *In veris, ait, non fuisse illam auctoritatem, nec in nouo ergo esse potest.*

Respondet Gregorius hostis. *Quicquid sit de antecedente, consequentiam negari. Nam irrita Christi promissio esse non potuit.*

Illam argumenta erant ex promissionibus Petro & successoribus illius à Christo factis.

Antecedens etiam negant optime, non enim publice & ex cathedra Pontifex cum toto suo concilio errasse legitur, tum se licet cum legitimo iure pontifex esset, nam dignitate, quam male accepit, excidebat, Domino ipso veniente & oues colligente suas, vocatur tamen Pontifex annuilius, quia pro tali habebatur, sicut & Paulus cum vocasset pontificem patrem deabatum, excusat se, quod nescisset esse Pontificem, scriptum enim: *principi populi tui non maledices.* Nec ille tamen tum princeps erat: Sed Petrus & Apostoli, quibus erat datus Spiritus Sanctus. Ruit ergo conutium Calvini supercilium, dum Ecclesiae Catholicae praesules comparat Iudaeorum Pontificibus officio, & Spiritu diuino priuatis, Christo iam suam Ecclesiam praesentia corporali, & doctrina illustrant. Nam Pontifices Christo venienti credere, in ordinem se ipsi redigere, ex eius ore pendere debuerunt, non agere quicquam pro officio, & dignitate sacerdotij, nisi à Domino instituti, quid agendum, quid relinquendum esset.

§. 4. Nec scripturae auctoritas à nobis conuelli-tur, dum Pontificis in iudicando certa veritas asseritur. Scripturae & immutabilis ac constans veritas, & auctoritas diuina, cum tamen de sensu alicuius partis, aut veritate controuertitur, opus est Ecclesiae auctoritate, non qua scripturae auctoritas firmior reddatur, sed ut nobis fiat euidentior, nosque erudiamur. Cum enim primum quisque nostrum didicit quatuor esse Evangelia, non est scripturae sua auctoritas firmata, sed nos edocti sumus, talem esse aliquam scripturam. Exempli multa sunt, ut vno. Lutherus Epistolam Iacobi stramineam vocat, respectu Evangeliorum, & expertem naturae Evangelicae, in praefatione anno 1523. & 1530. edita, contrariam ait Paulo. Eodem tenore stylo deest Epistola ad Hebraeos, & Apocalypsin. Nos alia eos libros asserere ratione non possumus, quam ut nitamur Ecclesiae Catholicae testimonio. Nam titulos eorum librorum, & quicquid sensus de scriptura adferri potest pro figmento ille habet. Hoc scripturae quod de integris libris dixi, de partibus etiam intelligendum est, & quod vel maxime ad rem facit, de sensu partium. Si enim sensus ab omnibus libere inquiratur, nec eius certus canon praescribitur, sed ex collatione, & studio primato, Spiritusque diuina eloquia iudicantur, veritas ingeniorum proteruit, & affectibus proditur. Omnes ea scientia venditant, & intelligendo faciunt, ut nec ipsi intelligat, & alios erroribus inuoluat.

Explicuit

Matthaei
in
euangelia
cap. XXI

Ecclesia
nobis scri-
ptura pro-
ponit.

sensus
non est ab
ingenijs

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN